

Letter 67: 1 January 152[1], Basel, Claude Chansonnette to Capito

The manuscript is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki. Ar. 25a, 64. It is erroneously dated 1520. The text is printed in A. Rivier, *Claude Chansonnette* (Brussels, 1878), p. 29.

S.D. Crede mihi, mi patrone, vix unquam fortuna vulnus inflixit acerbius quam quod nuper Wormatia te non viso mihi, rerum mearum incerto, fuit discedendum. Atqui fidem comitibus itineris addictam servatam oportuit. De re nostra quam agis¹, nihil addubito quin propemodum sit transacta, quare ut colophonem addas, meque his ex ancipitibus curis commodius eximere
5 valeas. Mitto ad reverendissimum illustrissimumque principem concilii Niceni et aliorum praeterea canones, sed ea lege qua accepi a domino voluminis, hoc est precario, nam alteri quam tibi (tibi enim creditum est dum princeps habet) nunquam credidissim.

Videbis etiam exemplum meae epistolae, quae si quippiam profutura aut ad rem facere videatur, dabis; alioqui tui sit arbitrii. Utcunque fac cum tabellario praesenti resciam in quam
10 aurem me dormire velis. Est enim aliud prae foribus, sed quod tua promotione multo minus estimem. Imo, etiam si haec spes maior tua esset, tuam nihilominus ut te scilicet patronum habeam, praoptarem. Sic tamen est haec, ut qualisqualis sit mihi acceptanda veniat, si quam iniecisti forte fortuna te et me fallat, quidquidem etiam si contingat, tibi tamen ob animi tui propensionem perpetuo plurimum debebo. Neque autem mihi persuadere possum ut aliter ac
15 velis succedat, quando omnia apud principem istum in manu tua sunt. Quamvis igitur incredibilis humanitas tua cumulatoribus beneficiis me sibi teneat obaeratum, quam ut (etiam si capitis hujus auctionem fecero) vel sorti solvendae par esse possim, ego tamen adhuc te oro, meum praesidium meumque dulce decus, perquam tuum pectus istud exorabile ac mitissimum obtestor, ut hac hora tuum Claudium magis ac magis tibi devincias, qui pridem nihil tibi non debet. Illud
20 ego ceu pelargyci² vice referam, ut tuorum in me meritorum memoriam apud me consenescere non sinam.

Bene vale. Melius valebo si tuae eminentiae literas accipere merebor, quibus me vel voces ad principem tuum addicta conditione, vel significes nihil amplius esse quod sperem. Nam
25 hac de causa praesentem tabellarium meis impensis ad te misi. Scripsi literas vulgares ad nobilem Jacobum Drucksess, amanuensem tuum, ut si opus sit ostendantur. Absolve promotionem, mi patrone, efficiam ut nunquam te promotionis poeniteat. Basileae, Calendis Januariis MDXX [sic] ab incarnatione D.N.

Tuae eminentiae cultor perpetuus Claudius Cantiuncula.

Carissime Wolfgange, rogo ut tabellarium quantum placet primum [?]³ absolvas, ac dum
30 scribis aut negotium curas in principis aula tui, imo etiam (ut spero mei) teneas, tametsi isthic diu imo vix unum vel alterum⁴ diem manere [non?] possit; omnino ut scribas quid facere me velis, potes enim intra horam scribere quod ex principe intellexeris.

¹ Rivier: egis; ms: agis.

² Rivier: pelargyri; ms: pelargyci.

³ ms: quantum placet primum [?]; Rivier: quamprimum

⁴ ms: alterum; Rivier: alium